

## Ad hymnum in Mercurium.

In novissima editione hymnorum Homericorum, quam curavit *Albertus Gemoll*, Lipsiae apud Teubnerum a. 1886, nuperime otium nactus intenta mente relegi hymnum in Mercurium, quod veteris poesis quantivis pretii monumentum propter miseriam qua ad nostram aetatem pervenit conditionem etiamnum requirit et diu posthac requiret maximam criticorum diligentiam atque sollertiam. Doleo autem doctum editorem, qui permulta aliorum scripta diligenter consuluerit, latuisse meas in hymnos curas, si paucas exceperis quas in opere *Revue de Philologie* prompsi coniecturas. Nam ignoravit quae scripsi decem abhinc annis in *Quaestiunculis Epicis et Elegiacis* (Traiecti a. Rh. apud Kemink a. 1876) p. 63—80 et postea in *Lectionibus Rheno-Traiectinis* (Lugd. Bât. apud Brill a. 1882) p. 1—5. Hac igitur occasione novis coniecturis quae inter legendum mihi natae sunt, veteres, quatenus hodieque mihi non improbantur, ne alios quoque lateant, coniungam.

V. 41 ἔνθ' ἀναπιλήσας γλυφάνῳ πολιοῖο σιδήρου  
αἰῶν' ἔξετόρησεν ὄρεσκῶιο χελώνης

Hanc Hermanni correctionem pro ἀναπηλήσας recepit editor. Cum tamen verbum compositum nusquam legatur nec quid in eo sibi velit praepositio appareat, hodieque verius iudico quod Q. E. p. 68 proposui ἔνθ' ἄρα πιλήσας κτέ., cll. Hom. Λ 171. Ο 730. Σ 39. 522. Ω 122. ο 473. τ 49.

V. 70 Πιερίης ἀφίκανε θεῶν ὄρεα σκιόεντα

ἔνθα θεῶν μακάρων βόες ἄμβροτοι αἰλιν ἔχεσκον.

Rectius me iudice olim e libro D in priore versu edebatur θέων *celeri cursu*. Quae lectio si vera est, fortasse versum depravatissimum 86, ubi de Mercurii reditu agitur

οἶα τ' ἐπειγόμενος δολιχὴν ὁδὸν αὐτοτροπήσας

sic tentare licet, ut suspicemur

οἶα τ' ἐπειγόμενος δολιχὴν ὁδὸν αὐτίς ἐτρώχα.

*iterum percurrebat.*

V. 83 εὐλαβέως ὑπὸ ποσσὶν ἐδήσατο σάνδαλα κούφα

αὐτοῖσιν πετάλοισι, τὰ κύδιμος Ἄρχειφόντης  
ἔσπασε Πιερίηθεν, ὄδοιπορίην ἀλεείνων κτέ.

Gemoll recepit lenem sane Windischii correctionem ἀλεγύνων, verumtamen loci ratio manifesto postulat, non *iter parans* sive *curans*, sed *iter celans, abscondens*, cf. infra 222 sqq. Iam vero Q. E. pag. 69 observavi infra vs. 237 sq. prorsus similiter idem verbum usurpatum esse:

σπάργαν' ἔσω κατέδυνε θυήεντ', ἤυτε πολλὴν  
πρέμων ἀνθρακίην οὔλη σποδὸς ἀμφικαλύπτει  
ὡς Ἐρμῆς Ἐκάεργον ἰδὼν ἀλείνειν ἔ αὐτόν.

ubi nunc video ab editore receptam esse Lohsei coniecturam ἀνείλειν, quae et contra etymologiam peccat (nam ab ἀνειλέω formatur ἀνείλειεν) et contra sententiam, ut apparet ex addita a poeta comparatione, cui male respondet. Praeterea ex Hesychio attuli cognatum verbum ἀλεάζειν· κρύπτειν et depravatam glossam ἀλγᾶ· κρύπτει, monuique satius videri a verbo duobus locis in eodem poemate eodem sensu usurpato abstinere manum, cum praesertim sat multa hic poeta habeat peculiariora et a communi usu abhorrentia.

V. 87 Τὸν δὲ γέρων ἐνόησε, δόμων αἴθουσαν ἀλωήν,  
ἴεμενον πεδιόνδε δι' Ὀρχηστὸν λεχεποῖν.

Audacissima mutatione Gemoll reponit:

τὸν δὲ γέρων ἐνόησε, καμῶν ἀνὰ γουνὸν ἀλωῆς.

Audacia quadam in loco conclamato restituendo interdum opus est, nec vitupero, sed hoc certe requirimus ut apta exeat sententia, et cadit, opinor, in oculos ferri non posse participium Aoristi καμῶν, sed necessarium esse tempus praesens, quo utitur quoque hominem alloquens Mercurius: ὦ γέρον, οἳ τε φύτα σκάπτεις ἐπικαμπύλος ὤμους κτέ. Nec video cur repudiemus lenissimam simul et artissimam in libro M correctionem ἀνθοῦσαν pro αἴθουσαν, qua pars certe loci restituitur. Ita solum ΔΟΜΩΝ corruptum manet, nam nihil esse quod in eodem illo libro legitur ΔΕΜΩΝ planissime assentior editori. Donec melius reperiatur, proponere ausim:

Τὸν δὲ γέρων ἐνόησεν ἔπων ἀνθοῦσαν ἀλωήν.  
collato loco Homericō Z 321

τὸν δ' εὖρ' ἐν θαλάμῳ περικαλλέα τεύχε' ἔποντα  
licet ibi, ut olim significavi, propter usum Homericum expectes περὶ κάλλιμα — ἔποντα. De scribendo τέμων (cf. Πιαδ. Λ 707 et βλάβω = βλάπτω) noli cogitare, quia id verbum de *arando* quidem, non vero de *fodiendo* adhiberi videtur.

Cum hoc loco propter similitudinem statim iungam quae annotavi ad v. 187 sq.

ἔνθα γέροντα  
κνώδαλον εὔρε νέμοντα παρἔξ ὁδοῦ ἔρκος ἄλωῆς.  
Gemoll rescripto κνωδάλω explicat 'Apollon findet den Alten, wie er mit seinem Stück Rindvieh — er hat wohl nur das eine — seitwärts am Wege den Zaun des Weinbergs abweiden lässt. Da solche Zäune aus Dornhecken bestanden, so ist die Sache praktisch durchaus in Ordnung. Das folgende βατοδρόπε wird man in dieser Thätigkeit zu verstehen haben'.

Priusquam vir doctus mihi bovem βατοφάγον aut olim exstitisse aut nunc vivere demonstraverit, fidem non habebō, ut alia quae obmoveri possent taceam, velut κνώδαλον dici quidem posse bovem, sed ita tantum si ex ipso loco de bove agi satis appareat. Callidius saltem rem administrasset si, collato Pindaro Pyth. X 33, *asinum* significari contendisset; hoc enim animal cibum durum asperumque minus quam bovem aversari constat, licet vel asinum ἔρκος ἄλωῆς νέμεσθαι magno opere dubitem. Inter aliorum coniecturas, quas multas in commentario recenset editor, nulla quidem est admodum probabilis, nulla tamen me iudice — ne quid gravius dicam — aequae infelix atque ea quam a se excogitatam in textum recepit. Ego nihil me hic videre lubens confiteor, nisi, quod unus quisque videt, dictum aliquid fuisse, propter quod βατοδρόπος senex ab Apolline dici potuerit.

V. 103 ἀκμηῆτες δ' ἴκανον ἐς αὔλιον ὑψιμέλαθρον  
καὶ ληνοῦς, προπάροιθεν ἀριπρεπέος λειμῶνος.  
ἐνθ' ἐπεὶ οὖν βοτάνης ἐπεφόρβει βοῦς ἐριμύκους,  
καὶ τὰς μὲν συνέλασσαν ἐς αὔλιον ἀθρόας οὔσας  
λωτῶν ἐρεπτομένας ἢδ' ἐρσήεντα κύπειρον.  
σὺν δ' ἐφόρει ζύλα πολλὰ, πυρὸς δ' ἐπεμαίετο τέχνην  
δάφνης ἀγλαὸν ὄζον ἐλών ἐπέλεψε σιδήρω.

Coniecturam meam αὐτὰς pro καὶ τὰς (Revue de Philol. II p. 148) commemorat Gemoll, sed ignoravit me Q. E. p. 72 sq. pro ἐπέλεψε, quod nihili est vocabulum, correxisse ἀπέλεψε *decortica-vit*. Praeterea admodum mihi placet praesertim ob commemoratos modo ληνοῦς ingeniosa Stadtmülleri suspicio poëtam pro ἀθρόας οὔσας (iam numerorum causa suspecto) dedisse ἀρδευθείσας.

V. 116 τόσσα δ' ἐριβρύχους ἑλικας βοῦς ἔλκε θύραζε  
δοιὰς ἄγχι πυρὸς· δύναμις δέ οἱ ἐπλετο (ἔσπετο recte  
Stadtmüller) πολλή·  
ἀμφοτέρας δ' ἐπὶ νῶτα χαμαὶ βάλε φυσιοῦσας,  
ἐγκλίνων δ' ἐκύλινδε, δι' αἰῶνάς τε τορήσας.

Sic praefixo corruptelae signo edidit Gemoll, ita ut lector hanc optimorum librorum lectionem esse credat necesse sit. At idem in commentario disertis verbis dicit ἀγκλίνων legi in optimae notae codicibus. Utrum igitur credendum sit incerti haeremus. — Satis autem probabilis videtur eius opinio versum depravatissimum olim terminatum fuisse verbis αἰῶν' ἐξετόρησεν, quae leguntur etiam supra v. 44, verum nequaquam intellego reliquam eius coniecturam:

ἀγκλίνων δὲ μίνυνθα τότ' αἰῶν' ἐξετόρησεν.

Locum enim quem ex Orphei Argonauticis 313 sq. affert:

καὶ τότε δὴ κραντήρα βῶν περιμήκεα ταῦρον  
σφάζον, ἀνακλίνας κεφαλὴν εἰς αἰθέρα διαν,  
ζῶσοταμῶν.

propter additum κεφαλὴν nulla laborat obscuritate, eoque exemplo saltem melius usus foret coniciendo:

ἀγκλίνας δὲ καρήαθ' ὄγ' αἰῶν' ἐξετόρησεν.

Nec tamen optime video, ut de infelici illo τότε taceam, quid bobus iacentibus in tergis, illa ἀνακλίσει proficiatur. Si quid in loco tam foede depravato licet ariolari, expecto aliquid huiusmodi:

χερσὶ δ' ἑλῶν πέλεκυν αἰψ' αἰῶν' ἐξετόρησεν.

sed ludere hoc esse non emendare, optime sentio. Verbo κλίνδεν nullum hic locum esse bene intellexit editor.

Secuntur haec:

ἔργῳ δ' ἔργον ὄπαζε· ταμῶν κρέα πίονα δημῷ·  
ᾧπτα δ' ἄμφ' ὀβελοῖσι πεπαρμένα δουρατέοισιν,  
σάρκας ὁμοῦ καὶ νῶτα γεράσματα καὶ μέλαν αἶμα,  
ἐργμένον ἐν χολάδεσσι· τὰ δ' αὐτοῦ κείτ' ἐπὶ χώρης.

In prioribus versibus miror structuram, pro qua expectes:

ἔργῳ δ' ἔργον ὄπαζε· ταμῶν κρέα πίονα δημῷ  
ᾧπτῆσ' ἄμφ' ὀβελοῖσιν κτέ.

In sequentibus vero nequaquam intellego, quo tandem pacto sanguine repleta intestina assari potuerint ἄμφ' ὀβελοῖσιν πεπαρμένα. Veru enim perforatis sanguis statim efflueret necesse erat. Intellegenda videntur farcimina, ut γαστέρες, quales describuntur in Odyssea σ 44 et υ 25, ubi tamen, ut par est, de veribus nulla fit mentio. Non magis autem expedio verba ultima τὰ δ' αὐτοῦ κείθ' ἐπὶ χώρης, quae sic interpretantur quasi scriptum exstaret ἐπὶ γαίης. Sive autem ita corrigimus, sive τὰ δ' αὐτοῦ κείατο χωρίς, parum aut nihil proficitur. Quae-rant alii.

V. 148 ἰθύσας δ' ἄντρου ἐξίκετο πίονα νηόν,

ἦκα ποσὶ προβιβῶν· οὐ γὰρ κτύπεν, ὥσπερ ἐπ' οὔδει.  
 Ultima verba graviter depravata videntur. Quis enim credat haec significari posse ὥσπερ ἐπ' οὔδει κτύπος γίγνεται ὑπὸ τῶν μὴ ἦκα ποσὶ προβιβῶντων? Locī nexus suadere videtur:

οὐ γὰρ κτύπε μητέρος αἰδοῖ.

V. 151 σπάργανον ἀμφ' ὤμοις εἰλυμένος, ἤυτε τέκνον.

νήπιον ἐν παλάμησι, παρ' ἰγνύσι λαίφρος ἀθύρων.

Inutilium coniecturarum numerum non augebo. Ne satis quidem certum videtur, recte incisum esse post παλάμησι, non potius post νήπιον. Non magis quam quod volgatur intellego παρ' ἰγνύσι λαίφρα σύρειν, ut scribendum videtur Gemollio.

V. 156

νῦν σε μάλ' οἶω

ἢ τάχ' ἀμήχανα δεσμὰ περὶ πλευρήσιν ἔχοντα

Λητοῖδew ὑπὸ χερσὶ διέκ προθύροιο περήσειν,

ἢ σε λαβόντα μεταξὺ κατ' ἄγκρα φηλητεύειν.

Vere coniectum videtur a Schmittio μετάζε, *posthac*, pro μεταξὺ, sed non sufficit Matthiaeī correctio λαθόντα, si quidem in huiusmodi sententia ἢ pro μᾶλλον ἢ sine exemplo dictum est. Non inepte me iudice scriberetur:

μηδὲ ἄλόντα μετάζε κατ' ἄγκρα φηλητεύσειν.

i. e. *nec* (nunc) *depressum posthac in vallibus furaturum esse.*

Matris sollicitudini convenit post οἶω sequens μηδέ, non οὐδέ.

V. 163 μήτηρ ἐμή, τί με ταῦτα δεδίσκεαι, ἤυτε τέκνον

νήπιον, ὃς μάλα παῦρα μετὰ φρεσὶν αἴσυλα οἶδεν,

ταρβαλέον, καὶ μητρὸς ὑπαιδείδοικεν ἐνιπάς.

Mira verborum compositio pro eo quod expectes

ταρβαλέον θ', ὃς μητρὸς κτέ.

Sed fortasse praestat:

ὃς μάλα παῦρα μετὰ φρεσὶν αἴσυλα οἶδεν

ταρβαλέος τ' ἄρα μητρὸς ὑπαιδείδοικεν ἐνιπάς.

Insuper parum aptum videtur h. l. compositum ὑποδεδιάναι, et nescio an poeta dederit ὑπερδείδοικεν, *valde metuit*. Cf. Herod. VIII 94 et ὑπερφοβεῖσθαι.

V. 166 αὐτὰρ ἐγὼ τέχνης ἐπιβήσομαι, ἥτις ἀρίστη,

βουκολέειν ἐμὲ καὶ σὲ διαμπερές.

Sic Gemoll de coniectura sua edidit pro depravata librorum lectione βουλεύειν, nulla addita explicatione. Si autem βουκολεῖν sensu proprio dictum voluit, quod suspiceris ob servatam in textu virgulam post ἀρίστη, grammatica non magis constat quam volgatae scripturae, neque aptam elicio sententiam, quoniam in proxime sequentibus Mercurius dicit se sibi matrique suae paraturum

beatam cum reliquis dis vitam victumque procul ab antro in quo nunc degunt in monte Cyllene. Sin vero verbum posuit sensu figurato, ne sic quidem, quippe quod aut *lenire* significet aut *fallere*, est huius loci, qui honorandi et amplificandi notionem desiderat. Equidem sive τέχνης servandum est, sive, quod longe praetulerim, τιμῆς emendandum cum Matthiae (cf. Hes. Theog. 396. Hom. Θ 258), teneo quod Q. E. p. 74 proposui

ὀλβιέων ἐμὲ καὶ σὲ διαμπερές

aut scribam cum Schneidewino, cuius coniecturam tunc ignorabam:

ἦτις ἀρίστη

ὀλβίζειν κτέ.

V. 170 βέλτερον ἤματα πάντα μετ' ἀθανάτοις ὀαρίζειν  
πλούσιον ἀφνειὸν πολυλήιον ἢ κατὰ δῶμα  
ἄντρῳ ἐν ἡρόεντι θαασσέμεν· ἀμφὶ δὲ τιμῆς  
κάγῳ τῆς ὀσίης ἐπιβήσομαι, ἥσπερ Ἀπόλλων.

Sic editor rescripsit pro τιμῆς, sed quidni potius τιμῆ dedit, quae vix minus lenis mutatio est, si quidem ι et ζ finale a librariis perpetuo confundi constat? Numerus enim singularis procul dubio hic longe aptior. Ceterum quod volunt interpretes *quod ad honorem attinet*, ut Graece sic dici potuerit, sonat pedestre et admodum mihi displicet. Satis contra mihi etiam propter opposita placeret, modo numeri sinerent, haec lectio

ἢ κατὰ δῶμα

ἄντρῳ ἐν ἡρόεντι θαασσέμεν ἀμφὶς τιμῆς.  
κάγῳ κτέ.

Ἀμφὶς pro χωρὶς, ἀνευ positum ignorat nemo. Sed retinet me cogitatio, versus Homericos terminatos vocabulis ἠῷ δῖαν et δήμου φῆμις probabiliter correctos esse legendo ἠῷα et δήμοο.

V. 240 ἐν δ' ὀλίγῳ συνέλασσε κάρη χεῖράς τε πόδας τε  
θῆρα νέον λοχάων, προκαλεύμενος ἡδύ,  
ἐγρήσσων ἔτεόν γε.

Συνέλασε pro συνέλασσε perfelix est editoris emendatio. Idem recte fecit quod revocavit e marginibus codicum EL antiquiorem procul dubio lectionem pro ea quam correctam a grammaticis praebent in textu codices omnes

δὴ ῥα νεόλλουτος προκαλεύμενος ἡδυμον ὕπνον

in qua correctione nihil probandum praeter ἡδυ(μον ὕπνον) recte, ut videtur, suppletum. Prius hemistichium non male tentavit Baumeister scribendo φῆ ῥα νέον γεγαῶς, sed προκαλεύμενος omnino ferri nequit, quia Mercurius non membra contraxit revera dormiturus, sed ut adventantem Apollinem dormientis specie

falleret. Propterea in lect. Rhen. p. 1 una mutata litterula scribendum proposui προβαλεύμενος — ὕπνον, i. e. προβλήματι χρησόμενος ὕπνω. Ita habebimus

ἐν δ' ὀλίγῳ συνέειλε κάρη χεῖρας τε πόδας τε  
φῆ ῥα νέον γεγαώς, προβαλεύμενος ἥδυμον  
ὕπνον,

ἐγρήσσων ἑτεόν γε.

V. 263 οὐκ ἴδον, οὐ πυθόμην, οὐκ ἄλλου μῦθον ἄκουσα,  
οὐκ ἂν μηνύσαιμ', οὐκ ἂν μήνυτρον ἀροίμην.

Suavior me iudice scriptura est infra 363, ubi iidem versus iterantur, posteriore sic scripto:

οὐδέ κε μηνύσαιμ', οὐδ' ἂν μήνυτρον ἀροίμην.

Fert autem poetarum epicorum consuetudo, ut eosdem versus repetentes nihil temere mutant.

V. 246 παπτήνας δ' ἀνά πάντα μυχὸν μέγαλοιο δόμοιο  
τρεις ἀδύτους ἀνέωγε, λαβὼν κληῖδα φαεινὴν  
νέκταρος ἐμπλείους ἢδ' ἄμβροσις ἐρατεινῆς.  
πολλὸς δὲ χρυσός τε καὶ ἄργυρος ἔνδον ἔκειτο,  
πολλὰ δὲ φοινικόεντα καὶ ἄργυρα εἴματα Νύμφης.

Condebantur res pretiosae in thalamo (Hom. Z 288 Od. B 337 Xen. Oec. 9, 3), itaque, quia ἀδύτους et propter nomen et propter formam (pro ἄδυτα) valde suspectum est, fortasse in textu tam foede depravato non est iusto audacior coniectura

τρεις θαλάμους ἀνέωγε κτέ.

Etiam in Ulyssis aedibus numero plurali memorantur θάλαμοι χ 142 et de industria hymni poeta rem exaggerare potuit, ut ingentes Deae divitias ostenderet.

V. 256 ῥίψω γάρ σε λαβὼν ἐς Τάρταρον ἠερόεντα  
ἐς Ζόφον αἰνόμορον καὶ ἀμήχανον· οὐδέ σε μήτηρ  
ἐς φάος οὐδὲ πατὴρ ἀναλύσεται, ἀλλ' ὑπὸ γαίῃ  
ἐρρήσεις, ὀλίγοισιν ἐν ἀνδράσιν ἠγεμονεύων.

Gemoll partim Bothium partim Matthiaeum secutus edidit  
ὀλοοῖσιν ἐν ἀνδράσιν ἠεροπεύων.

Equidem nescio an praestet admissa Hermannii coniectura ΔΟΛΙΟΙC pro ΟΛΙΓΟΙC verbum ἠγεμονεύειν ita tueri, ut leni mutatione reponamus:

δολίοισ' ἔνθ' ἀνδράσιν ἠγεμονεύ(σ)ων.

ut ibi (apud inferos) *viris dolosis praesideas*. Addito ἔνθα melius apparebit, Apollinem cum acerba irrisione sic dicere pro ἴνα μηκέτι τοὺς ζῶντας δολώσης. Sic autem liberamur insolita structura ἠγεμονεύειν ἐν τισιν.

V. 282

ἦ σε μαλ' οἶω. —

ἔννουχον οὐχ ἕνα μῦθον ἐπ' οὐδεὶ φῶτα καθίσειν

Sic edidit Gemoll pro Aoristo (codd. καθίσαι, καθίσσαι, καθέσσαι) annotans: 'Da das Futurum im Zusammenhange unumgänglich nöthig ist, so habe ich καθίσειν geschrieben'. Ex annotatione apparet καθίσειν non esse, quod initio putabam, vitium typographicum pro καθίσσειν, quod numerorum ratio manifesto postulat. Quin futurum necessarium sit, vix quisquam dubitabit.

V. 278 Ὡς ἄρ' ἔφη, καὶ πυκνὸν ἀπὸ βλεφάρων ἀμαρύσσω  
ὄφρυς ῥιπτάζεσκεν, ὀρώμενος ἔνθα καὶ ἔνθα,  
μάκρ' ἀποσυρίζων, ἄλιον τὸν μῦθον ἀκούων.

Depravatum esse ἀκούων omnes intellegunt, sed prorsus repudianda videtur quae placuit multis Baumeisteri coniectura ὑποσχών, cum quia eius verbi notionem, loco quem confert E 217 ἦ ῥ' ἄλιον τὸν μῦθον ὑπέστημεν Μενελάω aptissimam, huius loci ratio prorsus aspernatur, tum quia tempus praeteritum ab eo alienissimum est, neque igitur magis ferri potest, de quo aliquis cogitaverit, ἀπειπών. Manifesto enim verba καὶ — ἀποσυρίζων dicta sunt de Mercurio loquente adhuc, non locuto, et μακρ' ἀποσυρίζων accipienda de stridulo et sibilo sono vocis, quo innocentiam suam testans maximam simulat indignationem. Quod si vere contendo, palma tribuenda est Stadtmuelleri acute conicienti ὑλακτών, cui non praeferam ἀϋτών.

V. 336 παῖδά τιν' εὔρον τόνδε διαπρύσιον κεραῖσθην

Κυλλήνης ἐν ὄρεσσι, πολὺν διὰ χώρον ἀνύσσας,  
κέρτομον, οἶον ἔγωγε θεῶν οὐκ ἄλλον ὄπωπα  
οὐδ' ἀνδρῶν, ὅποσοι λησίμβροτοι εἰς' ἐπὶ γαίῃ.

Ferri non posse κέρτομον convenit mihi cum editore, qui fortasse rem acu tetigit proponendo κέντρων'. Non magis tolerandum arbitror λησίμβροτοι, quod vocabuli notio *latentes homines* huic loco non convenit, minime vero quod vox male formata sit, ut Gemollio videtur scribenti 'λησίμβροτος nur hier, gebildet wie τερψίμβροτος, nur mit dem Unterschiede, dass λήσις = λήσις höchst zweifelhaft ist. Es scheint daher ein Verderbniss vorzuliegen.' Vox aequè recte formata est ac Στησίμβροτος, Στησίχορος, φυσίμβροτος, alia plurima, licet numquam existerint substantivum στήσις pro στάσις aut φύσις pro φύσις, similiaque, sed a futuri radice omnia illa vocabula constanti analogia formantur. Nihil igitur hac quidem in re peccat codicum scriptura sed, ut decem abhinc annis Q. E. pag. 71 demonstrabam, loci sententiae minime accommodata est. Dubitabam tunc corrigendumne

esset λησίμβροτοι, *praedones*, formatum a λήζεσθαι = ληίζεσθαι, an ἀεσίμβροτοι = βλαψίμβροτοι, formatum ut ἀεσίφρων, an denique φουσιμβρότω (εἶς' ἐπὶ γαίῃ). Hodie primam correctionem ut lenissimam ita tutissimam esse arbitror, neque in hoc praesertim poeta, qui scatet Atticismis, vocalium η et ι in hoc vocabulo contractionem offensionem esse iudico, idque eo minus quia apud ipsum Homerum δήιος et δηιοῦν saepissime contrahuntur. Cf. La Roche Hom. Unt. II 213.

V. 343 τῆσιν μὲν γὰρ βουσὶν ἔς ἀσφοδελὸν λειμῶνα  
ἀντία βήματ' ἔχουσα κόνις ἀνέφαινε μέλαινα,  
αὐτὸς δ' οὗτος ὄδ' ἐκτὸς ἀμήχανος οὔτ' ἄρα ποσσὶν  
οὔτ' ἄρα χερσὶν ἔβαινε διὰ ψαμαθῶδεα χῶρον,  
ἀλλ' ἄλλην τινὰ μήτιν ἔχων διέτριβε κέλευθα  
τοῖα πέλωρ', ὡσεὶ τις ἀρειῆσι δρυσὶ βαίνοι.

Pro ὄδ' ἐκτὸς nondum quidquam quod verisimile videatur coniectum esse video, nec ab omni parte placet quod collato vs. 209 (cf. 450) in mentem mihi venit ὀπηδός. In ἀραιῆσι δρυσὶ iure haesisse editorem neque aio neque nego, quia fortasse dativo instrumentali hic locus est, ut dicitur ποσὶ βαίνειν, recte si haesit, male saltem coniecit ἀραιῆ σὺν δρυὶ, nam neque praepositio apta neque numerus singularis, et cum lenius tum melius suspicatus esset: ἀραιῆσ' ἐν δρυσὶ βαίνει. — Utut est, δρυσὶ i. e. ζύλοις, poetam dixisse noli mirari; enim Apollo Mercurii artificium supra commemoratum v. 81—85 ignoraret, κλώνας aut simile vocabulum adhibere non potuit.

V. 362 αὐτὸς δ' αὐτίκα μῦθον ἀπηλεγέως ἀγόρευεν·  
οὐκ ἴδον, οὐ πυθόμην, οὐκ ἄλλου μῦθον ἄκουσα.

Quid sibi hic velit *ipse*, neque editor explicat, nec ipse video. Non magis οὗτος est huius loci, sed expectatur τοῖον, vel potius ψευδῆ.

V. 383 μέγαν δ' ἐπιδαίομαι ὄρκον·  
οὐ μὰ τὰδ' ἀθανάτων εὐκόσμητα προθύραια κτέ.

Gemoll superiores editores secutus recepit Barnesii coniecturam ἐπιδώσομαι, iniuria, ut mihi quidem videtur. Non gravabor verbatim hic repetere quae scripsi in *Lect. Rheno-trai.* pag. I sq.

Volgo recepta est Barnesii correctio, quam confirmare sibi videbatur notissimo loco Iliadis X 254

ἀλλ' ἄγε δεῦρο θεοὺς ἐπιδώσομεθ'.

At neque si dici posset θεοὺς ἐπιδίδοσθαι, inde sequeretur, opinor, recte dici ὄρκον ἐπιδίδοσθαι, neque locus Homericus non mendosus est, sed certa emendatione a Nauckio est repositum

quod e correctione habet codex Vindobonensis ἐπιβύσομεθ' (nisi quod malim ἐπιβύμεθα), ita ut Barnesianae coniecturae omne conciderit fundamentum.

Si vero sanae est critices scriptorem, quantum fieri possit, ex ipso emendare, nescio an prodesse huic loco possit quod poeta supra v. 108 dixit

σὺν δ' ἐφόρει ξύλα πολλά, πυρὸς δ' ἐπεμαίετο τέχνην.  
Qui si hic dedit μέγαν δ' ἐπιΜαίομαι ὄρκον [i. e. *aggredior*] nove fortasse, sed non magis nove aut mirifice hoc loco quam illo locutus esse censei potest. Haud ita pauca habere hunc poetam singularia et propria satis constat. Quis, ut hoc utar, ante aut post eum similiter loqui sibi permisit atque hic fecit v. 127 Ἐρμῆς χαρμόφρων εἰρύσατο πίονα ἔργα λείψ ἐπὶ πλαταμῶνι κτέ.?

V. 399 ἀγρούς δ' ἐξίκοντο καὶ αὐλιον ὑψιμέλαθρον

ἦχ' οὐ δὴ τὰ χρήματ' ἀτιτάλλετο νυκτὸς ἐν ὄρῃ  
Ita fere libri. Gemoll edidit:

ᾧχ', οὐ δὴ τὰ χρήματ' ἀτάλλετο νυκτὸς ἐν ὄρῃ  
propius traditam scripturam, quam ὄππου δὴ, ut plerumque auctore Ilgenio editur. Sed τὰ χρήματα parum apte boves furto ablatos significare videtur, nec probabile optimam formam epicam ἀτιτάλλετο mero errore natam esse. Propterea igitur valde mihi applauditur Doederlini correctio τᾶγρευμ' ἀτιτάλλετο. Veruntamen non expedio cur additum sit νυκτὸς ἐν ὄρῃ, non enim supra dictum neque verisimiliter fingeretur hos boves, quos celare e re erat Mercurio, interdiu in prato vicino (cf. 104) pastos fuisse, nec vero cogitari potest de iungendis his verbis cum ἐξίκοντο, vetant enim verba sequentia (402): ἐς φάος ἐξήλαυνε, si satis proprie ibi poeta locutus est. Hinc vide an acu rem tetigerim hac coniectura:

ᾧχ', οὐ δὴ τᾶγρευμ' ἀτιτάλλετο νυκτὸς ἐν ἐρχθέν,  
*ubi praeda alcubatur nocte inclusa.* Cf. v. 106.

V. 401 ἐνθ' Ἐρμῆς μὲν ἔπειτα κίων παρὰ λάινον ἄντρον  
Usum praepositionis vereor ut tueantur loci, quos editor affert Σ 576 et Φ 491, ubi παρὰ commode veritas *praeter* s. *iuxta*. Hodie, ut olim Q. E. p. 75, poetae reddiderim ποτὶ λάινον ἄντρον.

V. 395 νεύσεν δὲ Κρονίδης, ἐπεπείθετο δ' ἀγλαὸς Ἐρμῆς·  
ῥηϊδίως γὰρ ἔπειθε Διὸς νόος αἰγιόχοιο.

Versus posterior me iudice admodum ieiunus, nisi putamus poetam dedisse ἔπεισε, ut sit sententia: *facile enim solet persuadere Iovis voluntas.*

V. 464

αὐτὰρ ἐγὼ τοι

τέχνης ἡμετέρης ἐπιβήμεναι οὔτι μεγαίρω,  
 σήμερον εἰδήσεις· ἐθέλω δέ τοι ἥπιος εἶναι  
 βουλῇ καὶ μύθοισι· σὺ δὲ φρεσὶ πάντα' εὖ οἶδας.

Absurde is, ut scribendam *Lect. Ultr.* pag. 3, qui iam *omnia probe novit* dicitur aliquid εἰδήσειν, nec satis bene haec verba cohaerent cum sequentibus. Totius loci ratio postulare videtur

σὺ δὲ φρεσὶ πάντα μενοινᾷς.

et sic demum recte intellegimus v. 474

σοὶ δ' αὐτάγρετόν ἐστι δαήμεναι ὅτι μενοινᾷς.

Apollinem a Mercurio petivisse artem citharae pulsandae ex hac Mercurii responsione liquido constat, sed eius rei mentio, ut ibidem monui, in praegressa Apollinis oratione a librariis olim est oblitterata. Nempe disiecta tantum membra poetae hodie supersunt in extrema, ubi id petiverat, Apollinis oratione (v. 460 sqq.):

ναὶ μὰ τόδε κρανείνον ἀκόντιον, ἧ μὲν ἐγὼ σε  
 κυδρὸν ἐν ἀθανάτοισι καὶ ὄλβιον ἤγεμονεύσω  
 δώσω τ' ἀγλαὰ δῶρα καὶ ἐς τέλος οὐκ ἀπατήσω.

Nisi vero omnia me fallunt, olim quatuor, non tres fuere versus, qui, suppletis quae exciderant, sic fere poterunt restitui

ναὶ μὰ τόδε κρανείνον ἀκόντιον, ἧ μὲν ἕγωγε  
 <θήσω σ', ἣν μοι σῆς τέχνης ὀδὸν> ἤγεμονεύσης,  
 κυδρὸν ἐν ἀθανάτοισι καὶ ὄλβιον <ἤματα πάντα>,  
 δώσω τ' ἀγλαὰ δῶρα καὶ ἐς τέλος ἀμφαγαπήσω.

in qualibus saltem versibus, quantum video, nihil est vituperandum (nisi quod in ultimo etiam malim καὶ ὡς τέκος ἀμφαγαπήσω), et sic Apollo a Mercurio petit, quod sequentia eum hic petivisse demonstrant.

In eadem Apollinis oratione recte corruptelae signo notavit Gemoll verba ἀμηχανέων μελεδώνων, ubi Deus audito Mercurii cantu cum alia multa tum haec admirabundus exclamat v. 447:

τίς τέχνη, τίς μουσα ἀμηχανέων μελεδώνων;  
 τίς τρίβος; ἀτρεκέως γὰρ ἅμα τρία πάντα πάρεστιν  
 εὐφροσύνην καὶ ἔρωτα καὶ ἦδυμον ὕπνον ἐλέσθαι.

Quia τίς hic admirantis potius quam rogantis est, fortasse non male conicias:

τίς τέχνη, τίς μουσα, — ἀμηχανέω μεγαλύων —  
 τίς τρίβος κτέ.

i. e. *laudantem vires deficiunt, satis laudare non possum.* Ad parenthesisin cf. 175 πειρήσω — δύναμαι — φηλητέων ὄρχαμος εἶναι. Alia conamina vide apud Gemollium in commentario.

V. 478 εὐμόλπει μετὰ χερσὶν ἔχων λιγύφωνον ἑταίρην,  
καλὰ καὶ εὖ κατὰ κόσμον ἐπισταμένην ἀγορεύειν·  
εὐκηλὸς μὲν ἔπειτα φέρειν ἐς δαῖτα θάλειαν.

Sive μὲν hic volgari more positum accipitur, sive Homericō pro  
μῆν, habet quod displiceat, et longe malim

Εὐκηλός μιν ἔπειτα φέρειν κτέ.

V. 454 οἶα νέων θαλίης ἐνδέξια ἔργα πέλονται.

Absurdum est quod volgo legitur e codicibus θεῶν, sed mihi,  
non sibi, hanc emendationem tribuisset Gemoll, si legisset,  
quae decem abhinc annis scripsi Q. E. pag. 75. — Ibidem monui  
vss. 429—432, quibus aut iusto plura aut nimis pauca dicantur,  
et inani laborent verborum repetitione, sequioris poetastrī ampli-  
ficationem videri, neque huiusque mutavi sententiam.

V. 562 ἦν δ' ἀπονοσφισθῶσι θεῶν ἠδείαν ἐδωδήν.

Recte ita scriberetur, ut dixi Q. E. 75, si mel esset solitus deo-  
rum cibus, nec quidquam ad rem facit Iovem infantem melle  
nutritum esse. Nunc haud dubito quin poeta scripserit

ἦν δ' ἀπονοσφισθῶσι θεαῖ, scil. Θρῆαι, κτέ.

V. 569 καὶ χαροποῖσι λέουσι καὶ ἀργιόδοysi σύεσσι  
καὶ κυσὶ καὶ μήλοισιν, ὅσα τρέφει εὐρεῖα χθῶν,  
πᾶσι δ' ἐπὶ προβάτοισιν ἀνάσσειν κύδιμον Ἑρμῆν,  
οἶον δ' εἰς Ἄϊδην τετελεσμένον ἄγγελον εἶναι.

Ingeniosa est Ludwichii suspicio, quam nuperrime protulit in *No-  
vis Annalibus Phil. et Paed.* LXX pag. 443, haec sic iungentis  
cum v. 526.

ἦν (pro ἐκ) δὲ τέλειον

πᾶσι τ' ἐπὶ προβάτοισιν, ὅσα τρέφει εὐρεῖα χθῶν,  
καὶ χαροποῖσι λέουσι καὶ ἀργιόδοysi σύεσσι  
καὶ κυσὶ καὶ μήλοισιν ἀνάσσειν κύδιμον Ἑρμῆν.

Sed semper male me habuit structura ἀνάσσειν ἐπὶ c. Dat., quam  
vix satis tuentur verba allata a Baumeistero e Xenophonte ἄρ-  
χων ἐπὶ τούτοις ἦν et καταλείπειν ἐπὶ τοῖς μένουσιν, et multo  
minus ferri potest Schneidewini coniectura ἐνὶ προβάτοισιν, quod  
ita Graecum foret, si ipse Mercurius πρόβατον fuisset. Quapropter  
olim Lect. Trai. p. 3 statuebam periisse verbum unde suspensum  
fuerit ἀνάσσειν et scribendum esse πᾶσι δὲ δεῖ προβά-  
τοισι κτέ.

Sin vero probanda est Ludwichii transpositio, scribendum  
propono

ἦν δὲ τέλειον

πάντεσσι προβάτοισιν κτέ.

Cum autem poeta πρόβατα hic dixisse videatur *quadrupedes* in genus, in sequentibus varia genera enumeraturus, locus non est voculae τε quam post πάσι intulit Ludwich, neque iam amplius causa est cur versum 570 ponamus ante v. 569.

Corrolarii instar verbo notabo coniecturas meas in reliquos hymnos, quas ignoratas a Gemollio additis argumentis in utroque libro proposui. Sunt autem haec:

*Hymn. i. Apoll.* 5 ἔμεινε pro μίμνε et 143 ἡλασκάζεις pro ἡλάσκαζες. — V. 42 ἀγερύχων pro ἀνθρώπων. — V. 53 ἄλλως pro ἄλλος (iam Bothe).

*H. i. Cererem* 350 Ἐρέβεσφι pro Ἐρέβευσφι (iam Franke). — V. 393 sq. supplebam: τέκνον, μή ρά τι μοι βρώμης σύγε ἦψαο κείθι· || ἔξαύδα, μή κεῦθε νόω, ἵνα εἶδομεν ἄμφω, ad priorem vs. conferens Od. κ 378, ad posteriorem Il. A 363. Π 19. Σ 74. — V. 371 conieci μελιηδέ' (ἐδωδήν) || λάθρη, ἀναγκάσσας, ἵνα μὴ μένοι ἦματα πάντα, ell. 411 sqq.

*H. in Bacchum* 32. Ex uno versu feci hos duos:  
ὡς εἰπών <νιν ἔλασεν, ὁ δ' οὐκ ἐθέλων ὑπ' ἀνάγκης>  
ἰστόν τ' ἔστησεν) καὶ ἰστίον ἔλκετο νηός.  
Gemollio scribenti 'Es ist alles in Ordnung' οὐ φθονῶ.

*H. in Panem* 11 μηλοσκόπος pro μηλόσκοπον, quod nunc quoque correxit Gemoll, qui etiam Nauckii coniecturam τηλέσκοπον commemorare debebat.

*H. in Tellurem*, 9 sq. sic tentavi:

Βρίθει μὲν σφιν ἄρουρα φερέσβιος ἡδέει καρπῶ,  
κτήγεα δ' εὐθηνεῖ, οἶκος δ' ἐμπίμπλαται ἐσθλῶν.

Hodie praeterea pro εὐθηνεῖ poetae reddiderim formam antiquiorem, qua sola uti potuit, εὐθενεῖ.<sup>1</sup>

Traiecti ad Rhenum.

H. van Herwerden.

<sup>1</sup> Posteaquam haec scripsi fere annus praeterlapsus est, ita ut recentiorum Ludwichii coniecturarum rationem habere non potuerim.